




RMIr. 182.

182.







RMir. F.  
182.

1000  
Thegium Theologicarum  
D E C A S

107.  
**DE PECCATO.**  
**POENITENTIA ET**  
**B. OPERIBVS**

*potiores ferè Controversias quæ hodie yngrie Lutherani  
cum Novatoribus intercedunt, exhibens,*

*quam*  
D E I favente Gratiâ  
in Lib. ac Regia Civitatis Montanæ Novisoliensis Gymnasio  
Sub ipsam Examinis publici clausulam,  
quæ in Diem 30. Aprilis

Anni CIC IC LXXI.

incident.

defendendam suscipiet.  
P R A E S E S

M. M A T T H I A S S T Ü R Z E R  
Rector.

Respondent  
PAULO PETRIK, Nagy Szalatnenſi.



LEUTSCHOVIAE,  
TYPIS SAMUELIS BREWER.

COELI ET TERRÆ DOMINO  
GRATIÆ PERENNI ET IN-  
EXHAUSTO FONTE.

Sacrum esto.



I.

DEUS causa Peccati nec est, nec esse potest, nec dici debet, ne indirectè, impropriè aut per accidens quidem, causâ per accidens sive verè sive homonymicè solum sumtâ.

II.

Causa vera, interna, propinqua, sufficiens & directè quasi efficiens (non tamen ~~accidens~~, sed ~~is~~ ex ~~accidens~~ dicta) omnis peccati est voluntas Creaturæ rationalis, in agendo sponte sui deficiens.

III.

Peccati in genere hominum primi præter internam etiam externæ fuere causæ, Satan videlicet, agens hic per meram suasionem moralem externam, & verus ac naturalis Serpens ab eodem obsessus, atq; ut instrumentum adhibitus.

IV.

Peccatum Originis cum Animâ ceu ~~exclusa deinde~~ suo ab Adamo in omnes ejus posteros, qui naturali ac ordinariâ viâ ab illo descendunt, & jam tunc

in eodem peccarunt atq; perierunt, in ipsâ statim  
seminis peccaminofî conceptione & carnali gene-  
ratione propagatur, quæ ob id mali illius comu-  
nis propriè dicta & proxima causa salutari jure po-  
test. Unde etiam ultrò sequitur, omnes, qui il-  
li, cujus ante meminimus, principio ortum suum  
debent, pravis cupiditatibus plenos, omni DEI  
metu vero, verâ item in Deum Fiduciâ destitutos  
hanc in lucem edi.

## V.

Idem Originale malum non est nuda aliqua  
<sup>genos</sup> privatio, amissio, carentia Justitiæ. donorum  
spiritùs Sancti aut virium supernaturalium, quæ  
omnem qualitatem positivam vitiosam excludat,  
juæve sola imputatione in nos à Protoplasis deri-  
etur; nec infirmitas duntaxat ac onus cunctis Ad-  
migenis ob alienam, puta Adami, culpam feren-  
um, ob quod (non verò quod hæreditaria sit Na-  
turæ corruptio ex Matris utero allata) ut genui-  
am causam moriendum nobis sit: Sed est quoq;  
positivum quid, præter pœnam veri nominis  
ulpa & peccatum per se damnabile, quod in Ima-  
inis Divinæ locum successit, est profunda quæ-  
an atq; horrenda abyssus, imperscrutabilis, & in-  
fabilis Naturæ totius, omniumq;, imprimis ve-  
rò supe-

rò superiorum, Animæ facultatum corruptio; in-  
trinsicâ homini post lapsum connata mentis, cor-  
dis atq; voluntatis immundicies; prava concipi-  
scientia (quæ tantum abest, ut sit concreata & es-  
sentialis Naturæ proprietas, ut potius peccatum  
Christo Mediatore, ne imputetur, Spiritus item  
Sancti lumine ac operatione, quâ mundetur &  
mortificetur, indigum dici debet) prava inclina-  
tio, usq; adeò, ut si vel maximè homo mali nil co-  
gitaret, nil loqueretur, nil operaretur, tamen na-  
tura ejus peccaminosa, peccato isthoc, Spirituali  
velut leprâ ac veneno, penitissimè & intimè infecta  
corruptaq; esset & maneret.

## VI.

Peccatum actuale non externus tantum est a-  
ctus, opusve in sensu incurrens, sed quodvis etiam  
intrinsecum cogitatum, concupitum <sup>anopus</sup>, quævis  
omissio boni, quantumvis ex infirmitate vel igno-  
rantiâ invincibili, ex incogitantiâ vel præcipitan-  
tiâ promanans.

## VII.

Pœnitentiæ propriè dictæ partes duæ sunt, Con-  
tritio & Fides. Contritio verò non est à nobisipsis  
excitata, præstita, elicita vel expressa ait sponte su-  
cepta actio. vel opus in nostra potestate situm, sed  
A 3 tristi-

tristitia, angor Conscientiae, Cordis angustia à malo Legis Divinae impressa, adeoq; mera passio. Voluntaria verò & sponte excitata pravarum cupiditatum mortificatio, tum probatio, nec non examen errorum quotidianum Conversorum tantum est & Fidelium.

### VIII.

Licet Opera Bona adeò non prohibeamus, ut ea necessaria & facienda esse semper prohibeamus: nemo tamen iisdem (sive praecedere Justificationem, sive comitari putentur, sive deniq; subsequantur verè) vel Justitiam & Remissionem peccatorum vel salutem ipsam meretur, aut consequitur, imò nec Fidem ac Salutem custodit aut conservat, quo respectu a nobis etiam dicuntur non esse necessaria ad Salutem. Neq; verò hic apparet, quomodo quis simul statuere possit: Bona Opera non esse necessaria ad Salutem; & tamen, benefacere, Dei præcepta observare, Justitiae studere, proximum diligere, esse necessarium ad Salutem.

### IX.

Fides quoq; ut bonum opus non justificat, aut à Deo elevatur, ut nobis quodammodo perfectè Justitiam mereatur, aut ipsa Justitia sit, nec eatenus ad Salutem necessaria est, quatenus efficax est per Opera, & per eadem viva esse cognoscitur.

X.  
Fides & Bona Opera, Justificatio item & Sanctificatio optimè convenientiunt, nexusq; indissolubili cohærent, ordine tamen distinguuntur, ut antecedens & consequens: non igitur, ut quidam autumant, Justificatio complectitur peccatorum remissionem & sanctificationem.

### C O R O L L A R I A

#### I.

*Opinio: ex qua per Consequentiam fundamentali articuli inversio sequitur, heretica dicenda est, etiam si errans protestetur, se eam consequentiam non videre.*

#### II.

*Tax optima rerum, sed non querit.*

#### III.

*Turcae & Iudei sunt idololatriæ.*

#### IV.

*Consensus Tatarum quinquecentularius Ecclesia non est principium Theologie.*

#### V.

*Symbolum Apostolicum non est Objectum totale Fidei.*

Infr.

I Quam primus nobis ingeneravit Adam:  
Grandia quam sicut commissa piacula culpe,  
Qua sic ex prima ceu levu unda fluunt:  
Utile quam Medium nobis Conversio, quamq;  
Vera Fides & quod manat abinde Bonum:  
Id satis ostendit Sturtzeri charta Magistri,  
Sed tamen hac melius litera Scripta docet.  
Verè discursu Res est & digna labore,  
Ut puto, sed simul est dignus honore labor.  
Obscurant etiam hac clarissima dogmata tricæ  
Papales, vitiant hac quoq; calva cohors.  
Hiq; palam vendunt absurdâ Noemata, sed sunt  
Qui astute castis phrasibus ista tegunt.  
Hi sunt, dementes qui turpia monstra sequuntur,  
Mendax qua Fidei cretica terra tulit.  
Horum cum prava errorum Sturtzere notasti,  
Te juvet is, cuius tam bene bella geris!


Cl. Domino Collegæ suo

applaudebat.

M. THOMAS STELLER

ibid. ConReg.





I Quam primus nobis ingeneravit Adam:  
 Grandia quamq; sient commissa piacula culpæ.  
 Quæ sic ex primâ ceu levis unda fluunt:  
 Utile quam Medium nobis Conversio, quamq;  
 Vera Fides & quod manat abinde Bonum:  
 Id satis ostendit Sturtzeri charta Magistri,  
 Sed tamen hac melius litera Scripta docet.  
 Verè discursu Res est & digna labore,  
 Ut puto, sed simul est dignus honore labor.  
 Obscurant etiam hac clarissima dogmata tricæ  
 Papales, vitiant hæc quoq; calva cohors.  
 Hiq; palam vendunt absurdâ Noemata, sed sunt  
 Qui astutè castis phrasibus ista tegunt.  
 Hi sunt, dementes qui turpia monstra sequuntur.  
 Mendax que Fides cretica terra tulit.  
 Horum cum prava errorum Sturtzere notasti,  
 Te juvet is, cuius tam bene bella geris!

Cl. Domino Collegæ suo  
 applaudebat

M. THOMAS STELLER



